

T2

Historiae II, 88

Il ritratto di Mecenate

(1) Dum ultimam bello Actiaco Alexandrinoque Caesar imponit manum, M. Lepidus, iuvenis forma quam mente melior, Lepidi eius qui triumvir fuerat rei publicae constituendae filius, Iunia Bruti sorore natus, interficiendi, simul in Urbem revertisset, Caesaris consilia inierat. (2) <Erat> tunc urbis custodiis praepositus C. Maeccenas, equestri sed splendido genere natus, vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsommnis, providens atque agendi sciens, simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens, non minus Agrippa Caesari carus, sed minus honoratus quippe vixit angusti clavi paene contentus, nec minora consequi potuit, sed non tam concupivit. (3) Hic speculatus est per summam quietem ac dissimulationem praecipitis consilia iuvenis et mira celeritate nullaque cum perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido, immane novi ac resurrecturi belli civilis restinxit initium; et ille quidem male consultorum poenas exsolvit. Aequetur praedictae iam Antistii Servilia, Lepidi uxor, quae, vivo igni devorato, praematura morte immortalem nominis sui pensavit memoriam.